



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Conventvi monasterij Cauriensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

ABBATI ET CONVENTUI
monasterij Cantuariensis.

Epist. 49.
Recipiuntur
sub protectione
apostolicæ
sedis.

Cum à nobis petitur quod iustum est & honestum &c. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, monasterium & personas vestras cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quæ in præsentiarum rationabiliter possidetis, aut in futurum dante Domino iustis modis poteritis adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem villas sancti Tirsi, sanctæ Mariæ de villa Cibran, sancti Salvatoris de Cinvio, sancti Michaëlis de Varzen, sancti Salvatoris de Bergundio, sancti Michaëlis de Canneru, sancti Antonini de Villanova, sanctæ Mariæ de Miudes, & sancti Salvatoris de Mari mortuo, cum omnibus pertinentiis earundem, & universas possessiones vestras, sicut eas iustè ac pacificè possidetis, vobis & per vos monasterio vestro auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus à sede apostolica protectionis & confirmationis perceptæ duos obolos aureos gratis oblatos persolvetis nobis nostrisq; successoribus annuatim. Decernimus ergo ut nulli omnino &c. confirmationis & protectionis &c. usque incursum. Datum Laterani Nonis Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

* Cod. Colbert.
Murdeco.
Epist. 50.
Confirmatur
quoddam sta-
tutum.

SORORIBVS DE *MVRCEO.

Iustis petentium desideriis &c. Cum igitur dilectus filius Albanensis electus ad locum vestrum, in quo relictis seculi vanitatibus Domino militatis, de mandato nostro dudum accedens, quoddam fecerit institutum, secundum quod vivere debeatis, nos vestris supplicationibus inclinati, institutum ipsum, sicut piè ac providè factum est, approbantes, illud statuimus robur debitum obtinere, inhibentes ne quis contra illud vos audeat molestare. Nulli ergo &c. constitutionis & inhibitionis &c. usque incursum. Datum Laterani v 11. Idus Maij, pontificatus nostri anno quartodecimo.

NOBILI VIRO WLADISLAO
nato quondam nobilis viri Oddonis
Ducis Poloniæ.

Epist. 51.
Recipitur sub
protectione
beati Petri.

Cum à nobis petitur &c. Eapropter, dilecte in Domino fili, devotionis tuæ sinceritatem quam circa libertatem ecclesiasticam geris, & quam Ecclesiis & personis ecclesiasticis in tuo ducatu recognovisse dinosceris, attendentes, ut ab Eccle-

sia protectionis gratiam sentias quam satagis honorare, personam tuam cum universis bonis quæ in præsentiarum rationabiliter possides, aut in futurum iustis modis poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus & præsentis scripti patrocinio communimus. Ad indicium autem hujus à sede apostolica protectionis perceptæ quatuor marcas gratis oblatas singulis trienniis nobis nostrisque successoribus ad Polonia pondus persolvetis. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum &c. usque incursum. Datum Laterani 11. Idus Maij, anno quartodecimo.

ARCHIEPISCOPO SENONENSIS
& suffraganeis eius.

Ille sinceræ dilectionis affectus quam carissimi in Christo filij nostri Philippi Regis Francorum illustris zelamur salutem nos vehementer inducit ut si quando contra rationes & libertates ecclesiasticas, quas in regno suo illæsas hæctenus custodivit, aliquid dicitur commississe, apud ipsum opportunè importunè monitis & precibus insistamus, quatinus illius intuitu in cujus oculis nuda sunt omnia & aperta, qui propter progenitorum suorum devotionem & suam Ecclesiæ suæ reverenter exhibitam regnum suum custodivit illæsum, quin etiam magnificè augmentavit, contritis graviter regnis illis quorum Reges rationes & libertates ecclesiasticas infringere præsumperunt, illud corrigat & emendet, vincens salubriter semetipsum pro Deo & propter Deum; cum sic vinci sibi non cedat ad dedecus, sed potiùs ad honorem, sitque nihilominus sibi apud homines magis quam vincere gloriosum. Sanè cum dudum nostris fuisset auribus intimatum quòd ipse contra venerabiles fratres nostros Antistiodorenses & Aurelianenses Episcopos indignatus, rem agi præceperit non utique sui moris, sed nec etiam sui juris, eorum faciens saisiri regalia, necnon etiam quædam alia præter illa, licèt nondum essent confessi de forisfacto aliquo vel convicti, nec ad satisfaciendum commoniti vel indicti, pro eo quòd quidam Milites eorundem in suo exercitu constituti ad locum quem eos adire præceperat cum aliis accedere recusarunt, absentibus ipsis Episcopis per licentiam ab ipso liberaliter impetratam, ac super his ipsorum & vestris supplicationibus minimè acquiescens coegerit eos miserabiliter exulare, nos serenitatem suam rogandam duximus & monendam, & in remissionem sibi suorum injunximus peccatorum, ut pro divini nominis gloria &

Epist. 51.
De senonensibus
relatum &
Antistiodorensibus
fr. 11. Idus Maij
11. Idus Maij